VOTVM PRIMVM
AD SANCTISSIMAM VIRGINEM MARIAM DEI MATREM,
Quæ religiosissime colitur in æde Lauretana.

Pro salute Illustrissimi Principis & Domini, atque Domini mei Scipionis Cardinalis Burghesij Sanctissimi D. N. PAVLI V. & re & nomine Pontificis Opt. Max. nepotis ex sorore.

Cum de mense Iulij anni 1610. febri laboraret, quo tempore Auctor in maximo mærore, luctu, & squalore versabatur, & ex vero corde lachrimarum riuos profundens, humi prostratus, eamdem sanctissimam Virginem vehementer deprecabatur.

Pro salute eiusdem Principis domini sui colendissimi.

A V C T O R E
EMANVELE CONSTANTINO LVSITANO
Sacræ Theologiæ Doctore, in Almæ Vrbis Gymnasio olim publico Professore.



ROMAE, Apud Iacobum Mascardum. M. DCX.

Superiorum Permissu.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI SCIPIONI CARDINALI BVRGHESIO.



NON Helices aut Cynoſura meos fauſtiq. Lacones
Direxere vagos ſinuoſa per æquora curſus.
Sola ſed e medio radians mihi fulſit Olimpo
SCIPIO lux tua deuoto mihi pectore fixa.
Hæc mihi & albenti cælo ſit Lucifer, hæc eſt
Heſperus, hæc veluti ſol alter iterq. diurnum
Nocturnumq. mihi monſtrat veluti altera Phæbe,
Denique ſecuram facit lux hæc ſola quietem.

Ad eundem Illuſtriſsimum Principem.

VT nequeunt oculi radiantia lumina ſolis
Ferre, ſed obruitur vis acieſq. minor.
Sic tua me virtus propio ſplendore ſubactum
Opprimit, vt ſubito lingua manuſq. labent.
Scilicet haud fas eſt heroica facta puſilla
Voce cani, magnos nonniſi magna decent.
Atque adeo tua quis præconia dicere tentet?
Quæ celebrata vigent ſolis vtraque domo?
Ergo magis taceam prudens ne ſedulus errem,
Ingenio laudes diminuamq. tuas.
Pectoris & memori potius venerabor honore,
Atque pijs votis teq. tuoſq. colam.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI SCIPIONI CARDINALI BVRGHESIO.



EMANVEL CONSTANTINVS eius seruus. S. P. D.



Vemadmodum Prometheus, vt ferunt commentitiæ Poetarum fabulæ; cum humanum corpus luto finxisset; Minerua adiutrice; ignem è cœlo surripuit; vt opus illud imperfectum cœlesti mente animaret. Sic ego, Princeps Illustrissime, luteum hoc opusculum non ausus, quod aiunt, sine cortice natare nomine tuo tamquam cælesti igne illustrare decreui, cuius radijs splendescat, & à tenebris in lucem reuocetur. Quare si cum Prometheo, audax vt sum, ita visus fuero, easdem pœnas soluere non recusabo; & cor meum tibi deuinctum aquilæ exedendum libētissime committam. Non tamen sum nescius, quam facile sit apud te veniam impetrare; cum præsertim animi tui clementia me ad hoc tergiuersantem incitauerit, & tamquam Minerua furto meo patrocinata fuerit. Si autem, vt spero, inter ea, quæ ab oculis tuis abesse non solent locum da-

bis, vigebit apud te mei memoria; quoties ea videbis, toties tibi occurram, adero tibi absens, tacitus semper tecum loquar, meq. esse de tuis familiaribus vnum, de ijs maxime qui tuo potissimum honori & vtilitati seruiunt; existimabis. Quod, vt ita sit, vehementer opto; & si assequor feram in cœlum istam humanitatem; colam animo, tuebor officijs & imitabor quantum potero, studio certe, si minus re licebit, tibi, vt satisfaciam, elaborabo. Vale & me ama quo me mihi ipsi efficias cariorem. Romæ Calendis Septembris 1610.

Eidem Illustrissimo Principi.

SCIPIO magne Princeps, atque Italæ gentis
Nostriq. sæcli gloria.
Hoc oro serena fronte munus accipe;
Libens quod offero tibi.
Nec temne quamuis sit pusillum;
Cælites non respuunt munuscula.

Ad opus.

Quid trepidas vastas puppis rimosa procellas?
Pande per anfractus carbasa tuta maris.
Hic tibi Typhis erit quo non vigilantior alter,
Quod fugiat, nouit, quodq. sequatur iter.
Inconcussa freto & rapidis luctabere ventis,
Exuet insanas ventus & vnda minas.

VO-

VOTVM PRIMVM
AD SANCTISSIMAM VIRGINEM MARIAM DEI MATREM,
Quæ religiosissime colitur in æde Lauretana.

Pro salute Illustrissimi, & Reuerendissimi Principis, & Domini, atque Domini mei colendissimi Scipionis Card. Burghesij Sanctissimi D. N. PAVLI V. & re & nomine Pont. Op. Max. nepotis ex sorore:

Cum de mense Iulij anni 1610. febri laboraret.





EGINA omnipotens mirandi munere partus;
Quæ totum exhilaras cœlum, quæ numine quamuis
Quaqua diuersis ambitur flexibus orbis;
Omne imples omne ingenti pietate reformas.
Hesperia ante omnes Piceni ad littoris oram,
Pandis vbi terris vi te maiore vocata
Currit; & afflictis præsentia numina rebus
Sentit adesse tua & meritos imponit honores.
O cœlo dilecta domus postesq. beati,
Vos ne per æthereas Iudęæ a finibus oræ
Aligerum mandante Deo vexere manipli?
Hic Virgo genitura Deum genitricis ab aluo

Pro-

Prodijt, & blandis mulsit vagitibus auras?
Hic quoque Virginei seruata laude pudoris
Sancta salutifero tumuerunt viscera fœtu?
Quænam igitur Regum sedes, quæ tẽpla per orbem
Huic se ausint conferre loco? stimulosq. pauenti
Subijcit, atque animum præsentia numinis vrget.
En ego Virgo tuas lachrimis prostratus ad aras,
Te veneror, te imploro, tuus si rite sacerdos
Sacra fero ingratis nec tango altaria donis.
Ille oculus patriæ, Princeps lenissimus ille,
Ille sacer Princeps Romani magna Senatus
Pars iacet indigna cruciatus pectora febri,
Febri heu mortifera, & lęthi iam limina pulsat.
Non queritur non ille dolet gemitumve fatigat,
Adstantes solita sed mansuetudine lapsis
Luminibus nunc hos nunc illos respicit ægre,
Non illum medici seruorum non anxia cura,
Nec quodcunque potest humanis artibus vnquam
Effici agive leuat; quod te per gaudia partus
Oro tui, illæsi per demiranda pudoris
Munera, per quæcunque tuo vel acerba tulisti
De nato vel læta preces admitte tuorum.
Certe equidem multas pendentes æde tabellas
Aspicio, quæ te miseris præsto esse loquuntur:
Hic te animo spectans torrentem viscera febrim
Depulit, ille Hiadas tristes, Hædumq. cadentem
Spectauit tutus vertentibus æquora ventis,
Et

Et duce te patrias enauit saluus ad oras.
Criminis ille reus falsi sub Iudice duro
Dum mortem expectat tenebroso carcere clausus.
Munere Virgo tuo detecta fraude reuisit
Vxorem & natos exoptatumq. parentem.
Ergo me superis e sedibus aspice Virgo
Prostratum, atque imo gemitus ex corde cientem;
Et pectus tundentem, & fletibus ora rigantem.
Id mea si scelera impediunt; si turpiter acta;
Quod fateor; mihi Virgo tuas occluserit aures.
Aspice tot populos Mater sanctissima mœstos.
Aspice Romuleam tot nunc lamenta per vrbem.
Aspice quod miseris nil tale merentibus vnquam
Præsidium aufertur; quo cum moriente peribunt.
Neu quamquam culpis adopertum turpibus arce
Aspectu me virgo tuo. Si pectore toto
Tę veneror, si te dubijs in rebus ad vnam
Confugio, teq. auxilium sanctissima posco.
Non dum se in partes olim diuiserat æquas
Rupta mole Chaos, non luxerat igneus æther;
Nondum pendebat tellus, non fluctibus orbem
Cærulus ambierat Nereus, rapidæq. volucres
Non liquidum pictis tranabant aera pennis.
Tu tamen ò felix, ò sæclo autiquior omni.
Te nascente omnes; quæ nos nigrantibus alis
Velauere prius; mundum liquere tenebræ.
Pœnitet ex animo vitę me virgo prioris;

Pœni-

Pœnitet, & meritas horret mens conſcia pennas.
Quod niſi tu caſto pendentem ex vbere natum
Concilias placasq. mihi, quo tendere curſum,
Quoue malis feſſam tentabo aduertere puppim?
Virgo iuſta mouent ſuperos ſi orata benignos;
Iuſta peto, miſeras audi ſanctiſsima Virgo
Exorata preces, miſero quas pectore fundo.
Præſidium ergo veni, tumidis agitatus in vndis
Nauita, te denſo miles circundatus hoſte,
Te vocat ignotis errans vagus hoſpes in oris.
Et tibi ſollicitus ſuprema voce colonus
Anxia vota facit, multa cum grandine meſsis
Sternitur, & rutilos contorquet maximus ignes.
Nec quiſquam incaſſum fatis vexatus iniquis
Virgo tuam ſuſpirat opem; quæ corda precantum
Aſpicis; humanasq. audis ſanctiſsima voces.
Virgo; namq. ſoles, placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapſis ſanctiſsima rebus.
Virgo audi, Virgo exaudi Virgo inclita Virgo
Vatibus a priſcis longe cantata priuſquam
In tua cœleſtis ſoboles ſe viſcera lapſu
Funderet arcano, fœtuq. tumeſceret alueus.
Neſcia peccati miſeros ſi reſpicis vllos,
Hæc tibi vota rata, & cordi mea carmina ſunto.

VO-

VOTVM SECVNDVM AD EAMDEM SANCTISSIMAM VIRGINEM.

Pro salute eiusdem Illustrissimi Domini mei colendissimi, & amantissimi.



SANCTA Parens,& nata tui res mira parentis;
Quodq. magis mirum est,filia, sponsa, parens.
Vt teneri pro matre gemunt in ouilibus agni,
Dum sæuus caulas sæuit odore lupus.
Sic tua supplicibus expandas brachia votis,
Optatamq. feras Virgo rogamus opem.
Si pia te lachrimæ tangunt, gemitusq. dolentum;
Si nomen veræ sola parentis habes.
Respice luminibus cælo pietatis ab alto;
Hæc serui Virgo lumina lapsa tui.
Respice me transfixa graui mea corda dolore;
Respice iactatas ore madente preces.
Hei mihi,nunc scelerum depressus mole meorum;
In terram fixos cogor habere oculos.
Obruta criminibus propiæ mens nescia culpæ
Torpet; & ad superos ora leuare nequit.
Si cælum intueor; nouit mea crimina cælum;
Si in terram verto lumina testis, adest.

Quò me vertam ignoro? ni tu mihi lumina vertis?
Quem moueat? nisi te te mea plaga mouet?
Quæso per immensi crudelia funera nati;
Hasce preces nato Virgo referre velis.
Lingua tremens hæret medio contracta palato;
Qui me nox Erebi ne voret ima tulit.
Per latus infando, traiectaq. viscera, ferro;
Ante (nefas) oculos quæ patuere tuos.
Virgo pia his lachrimis oculos ne auerte benignos;
Atque piam lapso porrige sancta manum.
Sæpe tuis precibus genitor sua tela reponit;
Fulmina cum celsi torquet ab arce poli.
Non flectenda tibi Solymæ sunt viscera gentis;
Nec tibi sunt duris corda mouenda feris.
Sed quem sacrato conceptum ventre tulisti,
Quæque tuo iacuit sarcina grata sinu.
Vbera cui niueo candentia lacte dedisti;
Quiq. tuo natum sanguine corpus habet.
Te tamen esse piam certū est; nec carmine tantum,
Sed niuea potius simplicitate capi.
Cordaq; cælestes admittunt pura, nec vlli
Indoctas memorant displicuisse preces.
Te vocat ad Medū tendens mercator Hydaspem;
Seu tortas crebro vortice tranat aquas.
Seu timet ad vastæ nocturna silentia siluæ
Solus; & incertas itq. reditq. vias,

Tor-

Tortida cui Libycis dipsas calcatur arenis,
Massilæ metuit qui fera bella leæ.
Seu quis ad Eleæ cursurus præmia palmæ,
Ardentes cæco puluere versat equos.
Seu iacet, & doctas frustra Podalyrius artes
Tentat, & à Marsis nil iuuat herba iugis.
Et qui fatifero traiectus pectora ferro;
Hostilem moriens corpore plangit humum.
Fęmina quin primos vteri sensura labores,
Sollicitas ægra dat tibi mente preces.
Et qui complexus laceratæ membra carinæ;
Lassa procellosis brachia iactat aquis.
Quiq. sedet duris religatus crura cathenis,
Ipse tuam cœco carcere poscit opem.
Audis; & celso requiem concedis olympo,
Quamlibet æratas non timet ille fores.
Sæpe tuam pomis onerauit rusticus aram;
Et tulit ad nitidas spicea serta comas.
Pastor & agresti modulatus carmen auena;
Ante tuas fixit gramina lecta fores.
Accelera pia mater, abit mens; vita recedit;
Si tua ferre cito dextra moratur opem.
Infelix quid agam? nec enim mihi lumine Titan
Demere sollicito nubila corde potest.
Siue pedes humili figo tellure nocentes;
Siue polo figo lumina, deficio.

Cum Auctor præ nimio dolore deficeret in ijsdem precibus, perseuerans iterum eamdem sanctissimam Virginem deprecatur.

Sol grauis est, Lunæ radij videre nocentem;
Ne me demergas Tartara ad ima, tremo.
Quid miser implorem? quo tristia lumina vertam?
Quod mihi præsidium terra, vel vnda ferat?
Aurea quin potius madido pete sidera vultu;
Atque piæ matri hos flebilis adde sonos.
Alma parens hominum superas Regina per auras,
Quæ geris ardenti sceptra corusca manu.
Cuius ad os, oculosq., domus stupet alta Tonantis,
Et ferit auratas aurea turba lyras.
Cuius ad excelsos Phæbi rota fulgida vultus
Amittit radios lumine victa suos.
O Virgo, ò summi nitidissima Ianua cœli;
Ianua, quæ facilem pandis ad astra viam.
O iubar, ò præsens æternæ gloria gentis,
O spes humanis vna relicta malis.

Pro salute Illustrissimi Domini mei.

Non ego te cesso dominam dominamq. vocare,
Et mea post vinctas terga referre manus.
Quæque etiam minimo sæpe es contenta susurro,
Nec fugiunt humiles pectora celsa preces.
Tu cœlo, terrisq. potens; tibi pontus & aer
Paret, & Imperio colla dedere tuo.
Singula quid referam? per te mitescere Christum
Cernimus; offensi cum tonat ira Dei.
Audi sic surgant Virgo tibi templa per orbem
Aurea, sic pario marmore crescat opus.

Æter-

Æternumq. tuos & veſper,& ortus honores
  Sentiat, & caſta det tibi thura manu.
Tollit vt ad ripas cantus vocalis Aeon,
  Fluminis ad ſtrepitus addit & ipſe ſuos.
Vt gemit herboſo triſtis Philomela ſub antro;
  Saucia cum luctus promit amore ſuos.
Sic ego te lachrimans Virgo ſanctiſsima quæſo;
  Quis mihi det votis accubuiſſe meis.
Quale breues clamant tecti de culmine pulli,
  Vt vaga det ſolitos mater hirundo cibos.
Seu gemitus alta meditatur ab arbore mæſtos,
  Voce vocans comitem blanda columba thori.
Non ſecus ex vero ductos ego pectore queſtus
  Et lachrimas mitto nuntia fida tibi.
Spectando vigiles tenuarunt æthera viſus,
  Lumina nunc flendo ſunt mihi feſſa ſatis.
Vim Virgo alma mihi maiorem viribus affer,
  Et Domino optatam, quæ potes, affer opem.
Quid loquor? aut vbi ſum? Virgo ſanctiſsima toto
  Pectore nunc gemitus pellet ab ore meos.
Ergo cum totus ſeſe tibi debeat orbis;
  Et celebrent nomen fœmina virq. tuum.
Ad te confugio cruciatus corda dolore;
  Expecto vitæ deficientis opem.
Reſpice Virgo meo manantia lumina fletu,
  Affer opem optatam; quid trahis vſque moras?

Salutem Illuſtriſſimo Prinsipi Scipioni Card. Burghesio domino meo Virgo cõcede, & ex corde meo veriſſimũ hunc dolorem expelle.

Ad te suspiro singultu viscera pressans;
Quando dabis seruo gaudia tanta tuo?
Heu cur te offendens viuo sanctissima Virgo?
Cur non flagitijs ima dehiscit humus?
Viuere me mauis; veniam & sanctissima donas,
Pœnitet, atque preces accipe Virgo meas.
Sic tua magnificis resonabit gloria templis,
Sic dabimus totos carmina læta dies.
Dirige deuoti gressus ad sidera serui;
Es pia, vis igitur? mater es; ergo potes?


Ad eamdem sanctissimam Virginem pro salute eiusdem Illustrissimi Domini mei amantissimi.

O Assueta malis hominumq. experta labores;
Vna salus miseris, nostræ tutela salutis,
Stella maris radians, splendentis Ianua cæli,
Salue, Virgo parens, mundi nitidissima lampas.
Salue iterum; & grato si thure altaria fumant
Rite tua; & si te matrem dominamq. fatemur.
Huc ades;ac hostes populis,morbosque,famemque,
Pelle tuis, scelerumq. notas, & crimina tolle,
Et mihi incolumem longum spectare patronum
Da precor; & mundi illecebras & vincere fraudes
Ditis; & optato tandem requiescere portu.

VOTVM TERTIVM
AD EAMDEM BEATISSIMAM VIRGINEM.

Pro salute eiusdem Illustrissimi Domini sui amantissimi.





IDERA vt auricomi radijs Titania Phœbi
Splendescunt, Phœbiq. soror, quæ cornua cœlo
Nunc formosa gerit, plenum nunc induit orbem,
Nunc obscura latet, manesq. Acheronte silentes
Æthereos terret coniux Plutonia vultus.
Sic tua lux oculos Virgo pulcherrima nostros
Irradiat, tenebrasq. e corpore discutit ægro;
Datq. videre iubar; sine quo non ætheris arces
Non cœlo subiecta videt, sed quo feror, aut quis
Audeat igniuomum tecum componere solem?
Ille licet pelago surgens rubicundus Eoo
Cæruleum roseo perfundat nectare cœlum;
Obuius ante tuos celabit lumina vultus;
Inq. coloratum retrahet mare pallidus ignes.
Lucifer obscuræ tegitur caligine noctis,
Et nigra sub nocte latet, lunaq. propinqua

Desi-

Deficit; & totum patitur tenebrescere cœlum.
At tua lux;quamuis tellus,mare,nubila,& æther,
Stent aduersa; manet,nulloq. abscondita sæclo
Deficiet, dum sæcla polis voluentibus ibunt.
Lucifer effundit; cœli licet arduus alti
Regna colat; mortale iubar; & corpore toto
Ius habet in fragili, tua lux diuinior illo est,
Et quæ corporibus cum sit medicina caducis,
Est animis etiam rebus solamen in arctis.
Lucifer exurit terras veluti ignis: & vrens
Omnia consumit; tua lux veluti ignis adurit
Pectora, sed tali quæ flagrant pectora flamma
Nobiliora manent; superæq. simillima genti:
Lucifer illustrat mortalia lumina; & illo
Quidquid habet mundi moles immensa videmus.
Si tamen ægrotent oculi grauis incubat vmbra.
Quamquam Hiperioniæ distent oriente quadrigæ,
Et Tharthesiaca spatijs æqualibus vnda.
At tua lux nescit Virgo nocuisse videnti,
Si tamen illa potest mortali e sede videri.
Nam si Phæbeæ similis foret, inq. minorem
Irrueret sol ipse; & sidera cuncta manerent
Squallida fulgentes atra caligine vultus.
Lucifer immensi dum circuit ætheris arces
Dat iubar, vtq. vices velocia tempora seruent,
Itq. reditq. viam toties oriturq. caditque:
Et

Et peragit lento duodena animalia gressu.
At tua lux immota manet, cœloq. supremo
Fulget, vbi e nostris euicta laboribus æuum
Transigis æternum; volucrem Titana mouere
Sub pedibus, curamq. vides Lathoida fratris,
Astraq. præcipites agitare micantia currus.
Ergo oculos huc flecte tuos, gemitusq. piorum;
Virgo potens audi, vero quos pectore fundunt.
Luminibusq. animæ radios immitte coruscos,
Vt cœlum penetrare queant, atque altius acrem
Intendisse aciem, teq. in splendore sedentem,
Inter cœlicolas, Maiestatemq. Tonantis
Cernere; diuino cuius sanctisima & orbis
Lucifer hausisti radiosam e lumine lucem.

Pro salute Illustrissimi Domini mei Scipionis Card. Burghesij.

Gratiarum actio eidem sanctissimæ Virgini Mariæ pro salute concessa eidem Illustrissimo Principi SCIPIONI Card. Burghesio Domino suo amantissimo, & colendissimo.

Regina omnipotens cœlesti numine plena;
Virgo salutiferũ peperisti intacta Tonãtem,
Quas grates, quæ digna tuo nunc carmina honore
Cantabit seruus, numeris resonantia plectro.
Quas tibi lætus agam grates, dũ vita manebit?
Aonias quamuis vltro mihi porrigat vndas
Delius; & doctæ concedant carmina Musæ

I. A. Non

Non tamen ipse queam dignas tibi reddere grates.
Iam circumsepti colles, quos alluit vnda
Tybridis, & cursu Romanam diuidit Vrbem;
Lætitia magna exultant, atque ardua voces
Terrarum lætas ad sidera celsa remittit,
Dulcibus & resonant passim concentibus auræ.
Te; cum luce noua sparget sol aureus orbem;
Virgo canam; & quoties abscōdet opaca polū nox,
Et tua præcipuo modulabor numina cultu.

Ad Romam de Comete, qui apparuit ineunte mense Octobris 1608.

ROma quid exhorres dirum stupefacta Cometem?
Æthereas non est cur vereare minas.
Desine mendaci plebem terrere susurro,
Pontificis PAVLI numine sospes eris.
Prodigiosa tuos non lædent sidera ciues;
Mænia nec lædent astra seuera tua.
Tu quondam (Ah facinus) ciuiles passa tumultus;
In te vertisti sanguinolenta manus.
Tu miseram tolerare famem, tu pestis acerbæ
Semina; seruitium tu graue docta pati.
Nil grauius passura dies age Roma quietos;
Nulla tibi PAVLO Principe fata nocent.

Ad

Ad eamdem Romam iterum atque iterum felicissimam, quæ talem atque tantum Pontificem genuit, qualis est PAVLVS V. & re & nomine Opt. Max. Pont.

CVm premeret totũ bellis flagrãtibus orbem;
Æquoraque,& vastas misceret milite terras,
Felix Roma fuit, famaq. impleuit olympum.
Gloria Romanis hęc parta laboribus ingens,
Sed peritura fuit. Nunc est tua gloria maior
Roma potens; nunc ęternum mansura per æuum:
Tartareas postquam migrauit pulsa sub oras
Vana superstitio; multos dominata per annos
Exulat impietas. Regnat nunc aurea Christi
Victo errore fides, veluti ęthere Phœbus in alto;
Cum fugat obscuras noctis nitidissimus vmbras.
Imo etiam terras mittis sacra iura per omnes;
Quosq. olim Imperij populos ditione premebas;
Nunc regis, & sancta sub Relligione tueris.
Nũc ergo quemq. ipse colo,quẽq. alma iuuentus
Ingenuis clarum studijs, & moribus aureis,
Miratur magnũ; quem expectat longæua senectus
Maxime PAVLE; tuas meritas ante omnia laudes
Concinere excelsi pręstabunt numina Pindi.
Tunc Tiberim,notasq. arces,post lõga reuisens
Tempora, suspenso gressu mirabitur hospes.
Hic vbi congestis laribus numerosa Quiritum
Gens co'uit paruos angusta in sede penates,
Et vili durata manus plebeia labore;

Apostrophe ad S. D. N. PAVLVM V. bominum presagio tam diu destinatum Imperio, & Dei suffragio regimini maturatum.

Infor-

Collegium Romanum Sapientiæ nuncupatū. *Collegium Romanum Societatis Iesu.*

Informi sonitu perculsas contudit aures.
Nunc pia flexanimo vitę pręcepta beatę
Formari eloquio; nunc magnę arcana parentis
In lucem secreta trahi, priscisq. relictis
Collibus, Aonias sedem posuisse sorores.
Scilicet & dulci tollet se carmine ad astra
Docta cohors; superūq. patrem, & benefacta piorū
Sæpe canet, canet ille tuas ante omnia laudes
Proxime cœlicolis Princeps. Tu PAVLE furentes
Compescis populos, & prœlia vertis in hostem
Impia. Tu iustis orbem moderaris habenis
Terrarum cœliq. potens. Tu iura Latino

Templum S. Petri. Sacellum S. Mariæ Maioris. Aula in Vaticano, & Quirinali monte. Seminarium Romanum.

Restituis solio. Templisq. atque Ædibus Vrbem
Condecoras, cultuq. pio. Tibi lecta propago
Cogitur aduerso lati de cardine mundi;
In varios quos ipse lares ingentibus auges
Muneribus, veriq. simul studiosa probique;
Viue diu; placidosq. tuos PAVLE aspice fœtus.
Interea sacras precibus pulsabimus aras,
Vt tibi felices summi moderator olympi
Annuat, & lętis plenos successibus annos,
Aurea restituas labenti vt secula mundo.
Atque vbi Nestoreos vita superaueris annos;
Quo nec Pyramidum moles, nec montibus altis
Impositę ducunt munitis turribus arces.
Sed pietas & prisca fides atque ardua virtus;
Te tandem optato facient requiescere cœlo.

PAVLE Sanctissimæ post quāplurimos annos tot tantorumq. tuorum laborum à Deo tibi in Cælo reseruata præmia cōsequeris.

FINIS.

